xlvii

nostri Johannes dissipatus ad constitucionem a nobis sollicitati generalis et ycumenici concilii pro unione premeditata ecclesiarum Christi et dedimus eis ambasiatoribus perfectam et plenam potestatem et baylliam super et mandamus ... dimittimus imperii nostri per presens crisobulum sive quod omnia et singula illa que ordinaverint, promiserint, juraverint, fecerint et concluserint per septimam sive sanctiorem partem super predictis predicti nostri ambasiatores reputentur a nostro imperio et affirmata sint tamquam si a persona nostra personaliter facta, ordinata, promissa et jurata forent. Et si contingeret impedimentum aliquod vel mors in aliquo dictorum ambasiatorum tunc quod factum est et promissum erit per duos ex eis firmum et validum sit tamquam si per omnes tres factum foret, et in robur et firmitatem predictorum juravit imperium nostrum per juramentum debitum et conducens nobis tamquam christiano fideli imperatori, et per oracionem et benedictionem sancti mei imperatoris domini et patris nostri felicis memorie, et per animam meam. Factum est presens crisobulum imperii nostri anno a creacione mundi sexmillesimo nongentesimo quadragesimo secundo et domini nostri Jhesu Christi nativitate M. quadringentesimo tricesimo tercio die vi novembris, Constantinopoli in pallacio nostro imperiali et subscriptum litteris rubeis manu nostra propria more imperiali cum pendenti aurea bulla.

Littera patriarche Constantinopolitani sub bulla plumbea

Joseph gracia dei archiepiscopus constantinopolitanus nove Rome yconomicus patriarcha reverendissimis cardinalibus Romane ecclesie et reverendis episcopis et omnibus aliis devotis congregatis in synodo Basiliensi condignam et condecentem inclito vobis omnibus ea qua teneor caritate et amicicia spirituali salutem. Litteras R. V. recepimus per reverendum Anthonium episcopum Suden. et fratrem Albertum de Crispis sacre theologie magistrum, oratores vestros, ex quibus et etiam relacionibus predictorum bene notavimus optimam dispositionem atque intencionem deo amabilem quam V. R. pro tota christianitate gerit et specialiter pro nobis id est pro unitate ecclesie sancte Christi. Et super hoc letati fuimus maximum quoniam hortamur nos pro illis pro quibus etiam nos jam diu hortati sumus instanter ecclesiam Romanam multociens cum sepissime et nuncius illuc pro unitate predicta ut omnibus patet. Tantis legacionibus ex parte nostra factis et tanta sollicitudine ostensa non permiserunt tamen circumstancie rerum ut finem acciperet nostra voluntas et tractatus. Ad presens igitur desideratis hujusdem et consilii et eadem disposicione V. R. scribimus querentes fieri concilium ycumenicum sub presencia omnium personarum necessario debencium ad esse secundum antiquum ordinem et consuetudinem et tale concilium fieri canonicum liberum inviolatum et simpliciter secundum formam antiquorum ycumenicorum conciliorum. Et illud omne quod deo dante in tali concilio unanimiter et concorditer conclusum fuit hoc firmum habere indubitanter et sine contradictione et hec quamquam que omnia dicta fuerit concessa et confirmata a sancta Romana ecclesia per plures legaciones ad eam nostri parte factas, impedita vero fuit istorum conclusio et effectus propter temporales circumstancias ut supra dictum est. Sed quoniam V. R. impetu tempore mutato promptitudinem super istis ostendit quod legacionem specialem fecit pro istis et hortata nos fuit litteris et relacionibus suorum oratorum propter hoc et nos misimus ambasiatores nostros familiarem imperii pro ... Demetrium Paleologum Methonides et honorandissimum in sacris monachis

[margin:] (ordinatur)

pour A. D. 1433. — Décrets du concile de Bâle.

Paris, Bibliothèque Nationale, Ms. lat. 12101, fol. 47.

License: public_domain – Various Locations, Generic Collection, , Planche 112 – Franz Steffens, La Paléographie Latine (https://fragmentarium.ms/view/page/F-2fh6/7408/59682)